

*Sedebit super thronum gloriæ suæ,
et separabit eos ab invicem.*

✠ Lécitio sancti Evangélii
secúndum Matthæum

25, 31-46

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis:

- ³¹ «Cum vénerit Fílius hóminis in glória sua,
et omnes ángelis cum eo,
tunc sedébit super thronum glóriæ suæ.
- ³² Et congregabúntur ante eum omnes gentes;
et separábit eos ab ívicem,
sicut pastor ségregat oves ab hædis,
- ³³ et státuet oves quidem a dextris suis,
hædos autem a sinístris.
- ³⁴ Tunc dicet Rex his, qui a dextris eius erunt:
“Veníte, benedícti Patris mei;
possidéte parátum vobis regnum a constitutióne mundi.
- ³⁵ Esurívi enim, et dedístis mihi manducáre;
sitívi, et dedístis mihi bíbere;
hospes eram, et collegístis me;
- ³⁶ nudus, et operuístis me;
infírmus, et visitástis me;
in cárcere eram, et venístis ad me”.
- ³⁷ Tunc respondébunt ei iusti dicéntes:
“Dómine, quando te vídimus esuriéntem et pávimus,
aut sitiéntem et dédimus tibi potum?
- ³⁸ Quando autem te vídimus hóspitem et collégimus,
aut nudum et cooperúimus?
- ³⁹ Quando autem te vídimus infírmum aut in cárcere
et vénimus ad te?”.
- ⁴⁰ Et respóndens Rex dicet illis:
“Amen dico vobis:

Quámdu fecístis uni de his frátribus meis mínimis, mihi fecístis”.

⁴¹ Tunc dicet et his, qui a sinístris erunt:

“Discédite a me, maledícti, in ignem ætérnum, qui præparátus est Diábolo et ángelis eius.

⁴² Esurívi enim, et non dedístis mihi manducáre; sitívi, et non dedístis mihi potum;

⁴³ hospes eram, et non collegístis me; nudus, et non operuístis me; infírmus et in cárcere, et non visitástis me”.

⁴⁴ Tunc respondébunt et ipsi dicétes:

“Dómine, quando te vídimus esuriéntem aut sitiéntem aut hóspitem aut nudum aut infírmum vel in cárcere, et non ministrávimus tibi?”.

⁴⁵ Tunc respondébit illis dicens:

“Amen dico vobis: Quámdu non fecístis uni de mínimis his, nec mihi fecístis”.

⁴⁶ Et ibunt hi in supplícium ætérnum, iusti autem in vitam ætérnam».

Verbum Dómini.